

## GERMANIA

admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem  
in pace, idem in proelio passuram ausuramque: hoc iuncti  
boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic  
vivendum, sic pariendum: accipere se quae liberis inviolata  
5 ac digna reddat, quae nurus accipient rursusque ad nepotes  
referantur.

Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum ille- **19**  
cebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. litt-  
rarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. paucissima **2**  
10 in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens  
et maritis permissa: abscisis crinibus nudatam coram pro-  
pinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere  
agit; publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma,  
non aetate, non opibus maritum invenerit. nemo enim **3**  
15 illic vitia ridet, nec corrumpere et corrupti saeculum  
vocatur. melius quidem adhuc eae civitates, in quibus  
tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel  
transigitur. sic unum accipiunt maritum quo modo unum **4**  
corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior  
20 cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium  
ament. numerum liberorum finire aut quemquam ex **5**  
agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores  
valent quam alibi bonae leges.

In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec **20**  
25 corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque mater  
uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. domi- **2**  
num ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter  
eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separat